

omnia delicta, pro quibus à lege, vel statuto imponitur simpliciter poena mortis naturalis, vel civilis, nempe tritimum perpetuo, & talis poena in usu est, ut à Judicibus imponatur, & exequatur, talia enim delicta dicuntur graviora, & atrociora: atrociora autem, si ve atrocissima existimant esse, pro quibus à lege, vel statuto imponitur poena gravior, quam simplicis mortis, in ipso genere mortis, ut puta, quia lex, vel statutum vult pro talibus delictis reos infusi culeo, vel igne comburi, vel in frustra trahi, vel rotæ inferri, vel ad caudam aequi scindi, vel hujusmodi, ut in crimine hæresis, parricidii, assassini, latrocinii ad viam publicam, sodomiz, incendiarii, falsæ monetæ, vel quando lex addit alias qualitates ultra poenam mortis, ut quando extendit poenam, etiam in filios, ut in crimine læsæ Majestatis, vel concedit aliqua specialia adversus delinquentes, ut in crimine raptus virginum, & honestarum mulierum, quæ opinio Julii Clari in effectu reincidit in opinionem Bartoli superius relata. (z)

69. Adverte præterea, delictorum quædam esse *Ordinaria*, quibus lex statuit certam poenam, ut in crimine adulterii, & aliis, de quibus in leg. 1. ff. de *Publ. jud.* quædam vero *Extraordinaria*, quibus certa poena à lege non est statuta, sed arbitrio Judicis puniuntur, ut crimen injuriarum, stellionatus, & similia, ut in leg. *Hodie*, ff. de *Pænis*. (a)

70. Adverte etiam, quod delictorum quædam sunt *nominata*, quædam *innominata*: *nominata* sunt, quæ à lege habent peculiare nomen juris, ut furtum, adulterium, & similia: *innominata* vero dicuntur, quibus lex non imposuit specificum nomen juris, sed tantum facti, ut est verberare, percutere, ingredi domum alienam, & similia: quæ quandoque sine maleficio fieri possunt, quandoque cum maleficio; 71. ob idque *innominata* dicuntur, secundum Bartolum. (b)

72. Adverte deinde, quod delictorum quædam sunt *capitalia*, quædam non *capitalia*: & ad cognoscendum, quæ sint capitalia,

& quæ non capitalia, oportet attendere doctrinam Baldi (c) asserentis; 73. hominem habere triplex caput, primum *naturale*, secundum *civile*, nempe, quando quis amittit libertatem, & tertium caput, est quando amittit civitatem: & quando committitur crimen, propter quod caput naturale veniret abscindendum, tale crimen capitale dicitur: 74. Similiter, quando quis committeret crimen, propter quod amitteret libertatem, & servus poena efficeretur, quia damnatus esset in metallum; tunc etiam tale crimen capitale dicitur, quia servus reputatur mortuus. (d) 75. Item, quando quis committeret crimen, propter quod amitteret tertium caput, scilicet Civitatem, tale crimen capitale dicitur: (e) 76. & quod crimen capitale prædictis tribus modis dicitur probat text. in leg. 2. ff. de *Pænis*, & in leg. 2. ff. de *Publ. jud.* & in §. *Cum autem*, Inst. *Quib. mod. jus patr. potest. solv.* (f)

77. Adverte denique, quod delictorum quædam sunt merè *Ecclesiastica*, quædam merè *Secularia*, & quædam *Mixta*: 78. merè *Ecclesiastica* sunt, quorum cognitio ad solos *Judices Ecclesiasticos* spectat, nec *Judex* laicus de eis potest se intrinmittere, etiam si commissa sint à laicis, ut est crimen hæresis, de quo solus *Ecclesiasticus* cognoscere potest, ut cum communi resolvit Alciatus. (g) 80. Similiter crimen simoniæ, de quo solus *Ecclesiasticus* cognoscit: (b) & similiter reliqua crimina à personis *Ecclesiasticis* commissa. 81. Merè *Secularia* dicuntur, de quibus, si à laicis committantur, soli *Seculares Judices* cognoscunt, ut est homicidium, furtum, & similia. 82. Crimina mixta sunt, de quibus, si à laicis committantur, uterque *Judex Ecclesiasticus, & Secularis* cognoscit, prout crimen adulterii, concubinatus, sodomiz, usurarum, sacrilegii, ut resolvit Julius Clarus. (i)

83. Adverte ultimò, quod accusatio cujuslibet delicti regulariter præscribitur spatio viginti annorum, nisi contrarium aliqua lege dispositum reperitur: (j) 84. in aliquibus tamen casibus accusatio criminalis minori cur-

(g) In dict. leg. *Levia*, quam diximus communem esse ex Socino, in dict. conf. 157. cum *Barbar.* & *Dec.* ubi supr. (h) Tradit *Bart.* in leg. 1. §. 1. ff. de *Fract. & expilat.* *Jaffon.* in leg. *Non dubium*, num. 6. *Cod. de Legib. & Panorm.* in cap. *Ex litteris*, col. 4. de *Constit.*

(b) In leg. *Nunquam plura*, n. 4. ff. de *Priv. delict.* communiter receptum ex *Blanc.* in *Pract. Crim.* fol. 52. n. 111.

(c) In leg. *Reus*, n. 2. *Cod. de Accusat.*

(d) Ut in leg. *Interdicit*, ff. de *Cond. & demonst.* & in leg. *Quod atinet*, & in leg. *Servitutem*, ff. de *Reg. jur.*

(e) Ita eleganter docet *Anania* in cap. *Qualiter*, §. *Ad corrigendos*, n. 15. de *Accusat.*

(f) Et tradit *Jaff.* in leg. *Titia*, n. 13. ff. de *Verb. sign.*

(g) In cap. 1. n. 73. de *Offic. Ordin.* & *Jul. Clar.* lib. 5. *Recept.* §. *Hæresis*, n. 4.

(h) Ut tenet gloss. fin. in cap. *Cum sit generale*, de *For. comp.* & communiter *Doct.* ex *Anan.* in cap. 1. n. 9. de *Simonia*, & *Jul. Clar.* in dict. lib. 5. §. *Simonia*, n. 7.

(i) Ubi supr. §. fin. *quæst.* 37. & *DD.* in cap. *Cum sit generale*, de *For. comp.* & nos latè in 2. tom. in 2. prælud. infra.

(j) Juxta text. in leg. *Quærela*, *Cod. Ad leg. Cornel. de Fals.* & in leg. 5. tit. 7. *Part. 7.* & tradunt *Doct.* communiter ex *Jul. Clar.* lib. 5. *Receptarum*, §. fin. *quæst.* 51. n. 1. qui omnino in isto articulo erit videndus.

fit temporis præscribitur, ut puta, accusatio adulterii, quæ quinquennio præscribitur. (k)

EX §. PRIMO.

SUMMARI A.

1. **J**udex, utcumque super delicto procedat, prius sibi constare debet, delictum commissum esse.

2. **Praxis**, & stylus procedendi ex mero Judicis officio, quando dicitur, aliquod delictum commissum esse.

3. **Delictum commissum esse, ut verificetur, sufficiens fama, vel testes minus idonei.**

4. **Delictum, si constat commissum, proceditur ad inquisitionem delinquentis summarie: confessione prius ab offenso sumpta.**

5. **Ordo, quem Judex, & Tabellio observant in examinatione testium, super aliquo delicto.**

6. **Verba testificantis non immutanda.**

7. **Testis interrogari debet, ita ut facile intelligi possit, quis fuerit aggressor.**

8. **Testis interrogetur, coram quibus delictum commissum fuerit, & alia de quibus infra.**

9. **Judex non debet testem extra casum interrogare.**

10. **Accusati innocentes periclitari solent, testibus in summaria male examinatis.**

§. PRIMUS.

DE STYLO FULMINANDI PROCESSUM per viam accusationis.

1. **Q**uoties Judex in aliquo delicto procedere voluerit, sive per viam inquisitionis, sive denuntiationis, sive accusationis, in primis, & ante omnia curare debet, ut de delicto constet: nunquam enim Judex ad aliquem actum procedere debet, nisi prius illi constet, delictum fuisse commissum per famam, aut alias conjecturas. (a)

2. Apud nos tamen *praxis*, quæ magis frequentatur est, quod quando Judex à principio procedit ex mero ejus officio, puta, quan-

do in ejus notitiam pervenit, aliquid fuisse delictum commissum, nempe, homicidium, furtum, vel simile, statim mandat Tabellioni, quod in capite processus scribat per viam actus, in ejus notitiam pervenisse tale delictum fuisse commissum, in tali loco Civitatis, & quod ad eruendam adire debeat ad videndum, & verificandum hominem fuisse mortuum, vel furtum commissum: & si offensus solummodo vulneratus fuerit, ad videnda vulnera, in qua parte corporis sint, quæ omnia in actis redigi facere debet. Et si Judex impeditus fuerit multitudine negotiorum, vel alia causa, mirere debet Officialem cum Tabellione, ad prædicta verificanda, & hanc praxim observari, testatur *Anton. Gomez* (b) 3. ad quam verificationem faciendam sufficiunt fama, vel alia conjectura, & testes minus idonei, secundum *Bosium*. (c)

4. Et postquam de delicto commissi constet, Judex diligenter debet procedere ad inquisitionem delinquentis, per summariam inquisitionem, & testium depositionem, recipiendo prius confessionem ipsius offensi vulnerati, ad se instruendum: 5. in qua informatione capienda Judex, & Tabellio sequentem ordinem observant, nempe, quod generaliter, & simpliciter interrogent testem, qualiter rixa illa, vel illud delictum fuerit commissum, & quid de eo sciat: & quicquid testis deposuerit, in actis redigi debet, eisdem verbis grossis, vel elegantibus, turpibus, vel honestis, quibus testis ipse usus fuerit in suo responso, & depositione: 6. absque eo quod verba illa immutetur, vel emendentur à Judice, vel Tabellione: 7. deinde testis interrogandus erit, quomodo illa rixa fuerit cepta, & inchoata, ut ita facile intelligi possit, quis fuerit aggressor, & an reus accusatus provocatus fuerit, re, vel verbis, ut sic necesse habuerit se defendere. 8. Postmodum Judex, & Tabellio interrogant testem, coram quo, & quibus personis delictum fuerit commissum, & an qui ibi adfuerit præteriterint opem reo, vel cui

(k) Juxta text. in leg. *Quinquennium*, ff. *Ad leg. Juliam, de Adult.* & in leg. 4. tit. 17. *Part. 7.* & ibi *Gregor. Lup.* in gloss. magna: alios plures etiam casus congerit gloss. in dict. leg. *Quærela*, & gloss. in leg. fin. ff. *Ad leg. Pompejanam, de Paris.* & est videndus *Dec.* in cap. *Licet causam*, n. 23. de *Probat.*

(a) Ut probatur in leg. 1. §. *Item illud*, ff. *Ad Sillan.* & in leg. *Necessarius*, §. 1. ff. *cod. tit.* & in leg. *Inde Nervatus*, §. fin. ff. *Ad leg. Aquilianam* & in leg. 1. §. *Si quis ultro*, ff. *de Quæst.* & in leg. 1. *Cod. Ubi caus. Fisc.* docet *Bart.* in

dict. §. *Item illud*. *Hypoll.* in *Pract. Crim.* in princ. *Castan.* in *Consuet. Burgund.* rub. 1. verb. *Archidiaconus*, §. 3. n. 4. *Bosius* in *Pract. Crim.* tit. de *Delict.* n. 1. & 2. & in tit. de *Tortura* accusatoris, n. 5. & *Jul. Clar.* lib. 5. *Receptarum*, §. 5. *quæst.* 4. præscribens praxim observandam, qualiter constare debeat de delicto facti transeuntis, & de delicto facti permanentis.

(b) 2. tom. *Variar.* cap. 9. n. 1.

(c) In *Pract. Crim.* tit. de *Delicto*, n. 1. & *Foler.* in *Pract. Crim.* 2. part. tit. *Capiet informationem*, n. 3.

cui eorum: & ubi erat testis, quando delictum fuit commissum, & qua hora contigit: & an delinquentis venerit ad tergo, vel facie ad faciem, armatus, vel sine armis, ex deliberato animo, vel casu: & an offensus obviam ierit reo, ita quod opus fuerit sibi vim vi repellere: & an reus ipse percussit offensum, vel alius ex inter essentibus calu illum percussit, pro pace, & concordia constituenda inter rixantes: 9. neque in his interrogationibus Judex, vel Tabellio terminos querelae excedere, neque extra casum interrogare testem debebunt.

10. Quae omnia supradicta oportet interrogare ad eruendam, & investigandam veritatem: sapientissime enim contingit accusatos innocentem periclitari, & maxima nocumta pati, ex eo quod testes in summaria informatione male examinati fuerint, non inquirendo quis fuerit agrestor, & a quo concertatio inchoata fuerit, & an offensor ad sui defensionem fecerit: nam postmodum praedicti testes in iudicio summario examinati, quamvis de innocentia accusati sciunt, & in iudicio plenario interrogentur, tempore ratificationis non audent veritatem detegere: sed solummodo se ratificant in sua summaria depositione. Quare summam diligentiam in hac summaria informatione recipiendam iudicem adhibere debere, cum ferè semper sit totius causae fundamentum, multum commendat Bernardus Diaz. (d)

Et in hac summaria informatione ipsemet iudex testes examinare debet, nec eorum examinationem committere potest: ut probatur in leg. 28. tit. 7. lib. 3. Recopil. & resolvit Covarruvias, (e) & Roxas (f) afferens, consuetudinem in contrarium inductam non valere, ut resolvit Felinus, (g) quia probatio iudici, & non Notario fit: (h) nullus enim magis scire potest quam iudex, quanta fides fit adhibenda testibus, ut inquit lex 3. §. 1. ff. de Testib. Iudex enim considerare debet, an testes ad interrogata respondeant, vel ex tempore, vel praemeditato sermone, vel qui verisimiliora deponunt, vel qua fronte, quo vultu, quo robore, vel qua trepidatione: cautus iudex omnia rimari, & inspicere debet, & alia signa vultus testium, an sint tristes, ridentes, lachrymantes, aut pallentes: quia difficile est crimen non proderere vultu. Et quae in hac informatione summaria iudex attendere debet, vide apud Jul. Clarum: (i) & postquam iudex summariam informationem coeperit, si ex ea aliquis culpabilis resul-

(d) In Pract. Crimin. Canon. cap. 112.

(e) Lib. 2. Variar. cap. 23. n. 10. & Jul. Clar. lib. 5. Sentent. §. fin. quest. 261.

(f) In singul. 205.

traverit, ad capturam ejus procedat.

EX §. SECUNDO

SUMMARI A.

1 Delinquente, utcumque culpabili reperto, cum iudex in carcerem detruddit, etiam si per unum testem minus idoneum de culpa constet.

2 Absque informatione, vel iudicio ad capturam non perveniendum.

3 Iudex absque inditio vel informatione aliquem capiens, in syndacatu tenetur, si captus repertus fuerit innocens.

4 Incarceratus absque culpa, absque impensa relaxandus.

5 Incarceratus absque inditio privatus impune poterit a carcere eximere, & ipse incarceratus fugiens pro confesso non habebitur.

6 Quando poena criminis est corporis afflictiva, is, contra quem praesumptio, vel iudicium ex summaria informatione resultavit, verbaliter citandus non est, antequam capiat.

7 Delinquens capiendus non est, absque mandato iudicis.

8 Delinquens capi poterit, absque iudicis mandato in fraganti delicto.

9 Captus a carcere fugiens, fractis carceribus, poena capitis punitur, & pro confesso habetur.

10 Delinquentibus carcer assignatur arbitrio iudicis.

11 Carcer ad custodiam, non ad poenam, constitutus est.

12 Mulier delinquens, in diverso, & separato carcere a carcere virorum includenda est.

13 Mulier Nobilis, & honesta delinquens in aliquo Monasterio, aut honesta domo deponenda, inhonesta vero, seu ignobilis in publico carcere ab alio virorum separato.

14 Custos carceris carceratam mulierem carnaliter cognoscens, acriter puniendus, & de consuetudine Francia poena mortis: etiam si publica meretricis fuerit.

15 Custos carceris meretricem publicam carnaliter cognoscens sponte sua, mitius puniendus, quam si per vim.

16 Poena custodis carceris socientis cum incarcerata arbitrio iudicis imponenda.

17 Custos carceris curat, ne necessaria captis desint: & ne molestia, aut injuria ir-

(g) Cap. cum casum 1. n. 21. de Testib.

(h) Leg. Quingenta, ff. de Probat. leg. Si quando, Cod. de Testib.

(i) Lib. 5. Receptarum, §. fin. a q. 20. usque ad q. 27.

irrogetur eis.

18 Iudex, capto delincente, vel absente, ejus bona confiscet, & penes tertium custodienda deponat: maxime si confiscationis bonorum poena pro delicto imponenda venit.

19 Poena confiscationis bonorum jure Regio solum in casibus ab eo expressis imponenda.

20 Clerici an confiscationis bonorum poenam patiantur, remissivo.

§. SECUNDUS.

DE CAPTURE DELINQUENTIS.

1. R Ecepta summaria informatione, si ex ea aliquis culpabilis apparuerit, vel contra eum resultaverit aliquid inditium, vel praesumptio, iudex debet illum personaliter capere, & in carcerem detruddere: ad quam capturam sufficiens erit qualisqualis probatio, vel praesumptio, etiam per unum testem minus idoneum, secundum communiter DD. (a) 2. absque aliqua tamen informatione, vel inditio ad capturam non pervenitur, ut probat text. in leg. 2. Cod. de Exhib. reis, (b) 3. alioquin, si absque informatione, vel inditio iudex aliquem personaliter ceperit, in syndacatu tenebitur: si captus postmodum repertus fuerit innocens, (c) relaxandusque absque impensa erit. (d) 5. Quinimo, tunc quilibet privatus impune poterit illum a carceribus eximere: (e) nec tunc captus fugiens a carcere pro confesso habebitur, ut docet Bartolus. (f)

(a) In cap. Si Clericos, de Sentent. excomm. in 6. & Ant. Gom. 3. tom. Variar. cap. 9. n. 1. in fin. & Jul. Clar. in dict. §. fin. quest. 20. n. 2. & quest. 28. n. 2.

(b) Et tradit Angel. in Tract. de Maleficiis, verb. Fama publica, col. 2. & Jul. Clar. in dict. quest. 28. n. 2.

(c) Secundum Bald. in leg. 2. num. 3. Cod. de His qui adron. oculi. & Hyppol. in Tract. Crim. §. Constante, n. 3.

(d) Secundum Bald. & Jass. in leg. Si pacto quo panam, Cod. de Patis, per text. in leg. fin. Nullo tempore, ff. de Liber. bom. exhib. & Ang. ubi supr. ver. 6. quaritur.

(e) Ut probatur in leg. 1. §. Offitium, cum duabus sequentibus. ff. Nequis eum, qui, & communiter Doct. ex Jass. in leg. 3. §. Quod Praetor, col. 3. ff. Nequis eum, qui, & Jul. Clar. in dict. quest. 28. n. 4.

(f) In leg. Vix ejus, Cod. de Probat. & Felin. in cap. 1. col. 14. de Confit. sic limitans text. in leg. Ad Commentationem, Cod. de Custod. reor. & est communis opinio, secundum Rollan. a Valle, conf. 7. n. 47. lib. 1. & Covar. lib. 1. Variarum, cap. 2. n. 1. & Duenas in reg. 393. Limit. 4. & Jul. Clar. in dict. §. fin. quest. 21. n. 26. & 27.

(g) Ut probat text. in leg. Nullus, Cod. de Exhib. reis, & probatur ex leg. 1. & toto tit. ff. & Cod. de Cust. reor. & in leg. 1. tit. 29. Part. 7. quam ita intelligit Gregor. ibi in gloss. 1. & tradit Rod. Suar. in Alleg. de Fideiuss. in causa Crimin. n. 5. super leg. 4. tit. 5. lib. 2. Fori, vers. Practica juridica, & Ant. Gom. in dict. cap. 9. n. 1.

6. Et advertet, quod quando contra aliquem praesumptio, vel inditium ex summaria informatione resultat, quod non debet praecedere verbalis citatio, propter timorem fugae: sed statim realiter erit capiendus, alioquin nec captura sequeretur, nec delicta punirentur: (g) quod tamen intelligit verum Gregor. Lupus, (h) quando poena criminis est corporis afflictiva; alioquin verbaliter citari delinquens poterit, ut ex illa lex colligitur, & ex text. in Auth. Ut nulli iudicium, §. Si quis vero comprehendensurum. (i) 7. Adverte insuper, quod praedicta captura absque mandato iudicis fieri non potest, etiam si Officialis publicus illam facere voluerit: (j) 8. quod intelligi debet, nisi delinquens repertus fuerit in fraganti delicto: nam tunc absque mandato iudicis capi poterit. (k)

9. Atque ideo, postquam ex summaria informatione constiterit, aliquem culpabilem esse, iudex concedit mandatum Alguacello ad capiendum delinquentem, vel ipse iudex illum capit, & in carcerem detruddit: qui carceratus a carcere fugere non debet, alioquin fugiens, fractis carceribus, poena capitis punitur, (l) & talis fugiens pro confesso habebitur, ut resolvit Duenas. (m) 10. Qui carcer delinquentibus assignandus erit arbitrio iudicis, secundum qualitatem delicti, & persona ipsius delinquentis: (n) 11. quia carcer non ad poenam, sed ad custodiam constitutus est. (o)

12. Et hinc est, quod si delinquens fuerit mulier, includi debebit in carceribus separatis a carceribus virorum, juxta text. in leg.

Quo-

(h) In leg. 18. tit. 8. Part. 1. in gloss. 2.

(i) Et idem resolvit Bernard. Diaz in Pract. Crimin. cap. 113. per text. in cap. 1. de 7. lib. 6.

(j) Juxta text. in leg. fin. Cod. de Exhib. reis, & ibi notat gloss. recepta communiter a Bart. & ab aliis, & probatur in leg. 2. tit. 29. Part. 7.

(k) Argum. text. in Auth. de Defens. Croit. §. Audient, Colliat. 3. & firmat Paris de Puteo in Tractat. Syndicatus, fol. 188. n. 15. & Jul. Clar. in dict. quest. 28. num. 7.

(l) & idem dicendum erit in aliis casibus exceptis per text. in leg. 12. tit. 17. Part. 7. & in leg. 2. tit. 29. Part. 7.

(m) Ut probat text. in leg. 1. in princ. ff. de Effraitor. & in leg. Militis agrum, §. Eum tamen, ff. de Re milit. & tenet Bart. in Tract. de Carcer. col. 3. & hanc conclusionem pro regula ponit, cum tribus ampliationibus, & novem limitationibus Petrus Duén. in regul. 393. & Jul. Clar. in dict. §. fin. quest. 68. n. 6. & quest. 21. n. 25.

(n) In reg. 389. lim. 2. & Jul. Clar. in dict. quest. 21. num. 25.

(o) Ut probat text. in leg. 1. Cod. de Custod. reor. & in leg. fin. Cod. de Accusat.

(p) Ut probatur in leg. Aut damnus, §. Solent, ff. de Pernis, & in leg. 4. & 6. tit. 29. Part. 7. & in leg. 16. tit. 1. Part. 7. & tradit Rod. Suar. in dict. Alleg. de Fideiuss. in causa Crimin. n. 8. & Anton. Gom. in 3. tom. Variar. cap. 9. n. 6.

